Fragmentarium

facti sumus similitudini mortis
mortis eius: simul et resur-
rectionis erimus. Hoc scientes:
quia uetus homo noster simul
crucifixus est. ut destruatur
corpus peccati. ut ultra non
seruiamus peccato. Qui enim
mortuus est. iustificatus est
a peccato. Si autem mortui sumus
cum Christo. credimus quia si-
mul etiam uiuemus cum illo.
Scientes quod Christus resurgens
a mortuis iam non moritur.
mors illi ultra non domina-
bitur. Quod enim mortuus est
peccato: mortuus est semel.
quod autem uiuit. uiuit deo.
Ita et uos existimate uos mortuos
quidem esse peccato. uiuen-
tes autem deo. in Christo Ihesu domino nostro.
Alleluia.
Diligam te domine uirtus mea
dominus firmamentum meum
et refugium meum.
Sequentia sancti
euangelii secundum lucam.

n illo tempore. Dixit Ihesus
discipulis suis. parabolam hanc. Homo
quidam fecit cenam
magnam. Et uocauit mul-
tos. Et misit seruum suum hora
cene. dicere inuitatis ut ue-
nirent. quia iam parata sunt
omnia. Et ceperunt omnes simul
excusare. Primus dixit ei.
Villam emi. et necesse habeo
exire et uidere illam. rogo te
habe me excusatum. Et alter
dixit. Iuga boum emi quinque.
et eo probare illa. rogo te ha-
be me excusatum. Et alius
dixit. Uxorem duxi. et ideo
non possum uenire. Et reuer-
sus seruus. nuntiauit hec
domino suo. Tunc iratus pater
familias. dixit seruo suo.
Exi cito in plateas et uicos
ciuitatis. et pauperes ac de-
biles. et cecos et claudos intro-
duc huc. Et ait seruus.
domine factum est ut imperasti.
et adhuc locus est. Et ait
dominus seruo. Exi in uias et sepes.
et compelle intrare ut impleatur
domus mea. Dico autem uobis.
quod nemo uirorum illorum
qui uocati sunt. gustabit ce-
nam meam. Off. Illumina oculos meos
nequando dormiam in morte. nequando dicat ini-
micus meus. preualui aduersus eum.

Protector noster aspice deus ... esto ... regno ... deus eorum ... salutari ... honore ... eos.

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Typ 701, recto – Missal
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-hd68/8829/66608)